

cum eodem fuisse sepulta. vid. CAMERON. ad h.l. Vt vero de aliis taceam academiis, liceat mihi vel tres illas, post Cyri tempora, in Chaldaea celeberrimas, *Nebardeam*, *Pombeditbam*, & *Soriam*, ex quibus, velut equo Troiano, multi Judaeorum sapientes prodierunt, appellare. Quis vero inficias ire vellet, in scholis, & academiis Judaeorum, classicum veluti auctorem, Mosem fuisse? Plura de academiis Judaeorum dabit ALTINGIVS in *pecul. lib. de Academiis Judaeorum*. Fuit itaque cathedra Mosis nihil aliud, quam eiusmodi *potestas*, & *dignitas*, vi cuius Pharisei, populum in Synagogis erudiebant; in Synedrio iudicabant, & responsa in casibus dubiis dabant; in scholis suis, & conuentibus eruditorum, Mosem interpretabantur, & quaestionibus atque responsionibus mutuis illustrabant, doctrinae Mosaicae conuenienter.

§. IV. Quaeri vero poterat, cur *Mosis praecise cathedra* dicatur? numne solus Moses, exclusis aliis scriptis, cathedram hanc constituebat? Quod ad prius, aquiescam hic in verbis GERHARDI, qui l.c. hunc in modum: *Mosis*, inquit, *cathedra vocatur* I. *ratione originis*, quia *Moses primus hanc cathedram obtinuit*, cui in hoc officio *scribae & Pharisei successerant* II. *institutionis*, quia *Moses diuino mandato hunc ordinem in populo Dei instituerat*, ut certi essent iudices, ac doctores populi &c. III. *obiecti*, quia *cathedra, quam scribae & Pharisei tenebant, destinata erat libris Mosaicis, iisdemque homogeneis &c.* Quod ad posterius, habet hic illa interpretum regula locum, exclusiuam non excludere subordinata, sed opposita. Vti ergo תורה sive lex, נביאים prophetae, & כתובים seu hagiographa, perpetuam inter se harmoniam habent, & sunt scripta homogenea: ita omnia haec voce Mosis hic intelligantur, necesse est, quum alioqui non essent confundenda. Habebant enim Judaei non solum *Mosem*, sed & *prophetas*, iuxta illud Lucae XVI, 29. & omnia